



## **Tractatus De Magis, Veneficis Et Lamiis, Deque His Recte Cognoscendis Et Pveniendis**

Propter Varias & controversas de hac quaestione hominum sententias,  
vtilissimus & cunctis ad Rerumpublicarum gubernacula sedentibus  
maxime necessarius ... in tres libros distributus

**Gödelmann, Johann Georg**

**Francofurti, 1591**

**VD16 G 2487**

Capvt III. De Necromanticis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61507)

Hæc dum populus ad stuporem spectaret, cuidam ciui eò fortè  
 declinanti, quærentiq; quidnam rerum ibi gereretur? respon-  
 sum est, circulatorem cum equulo in aëra conscendere: hic se  
 statim vidisse eum in vico ad diversoriū abeuntem asseveravit.  
 Illufos itaque se vbi animadverterent, discesserunt. Huc perti- 18  
 nent Agyrtæ & Circulatores circumforanei die *Gaukelbus-*  
*ben*/ qui hinc inde in ciuitatibus, pagis, varia genera præstigio-  
 rum exercent. Iubent aliquem vorare cibos, is postea si spuat,  
 ex ore stercora, & alia eijcit: rosam ancillæ in gremium conijci-  
 unt, ex qua postea membrum virile fit, gladios, pugiones acu-  
 tos devorant, & super ijs absque vlla læsione incedunt. Luthe-  
 rus scribit se vidisse præstigiatores quendam iuuenem, qui nu-  
 do cum ventre tanto impetu mucroni incubuerit, vt gladius  
 sese incuruauerit, & mucro ad capulum vsque pervenerit. In- 19  
 terdum quoq; præstigiatores socio caput amputare, eiq; rur-  
 sus imponere solent. Sicuti præstigiator quidam nobilis in di-  
 versorio publico in N. hospitis famulum, ita petentibus reliqs  
 conuiuis, decollauit. Cùm autem ei caput rursus imponere  
 vellet, animadvertit adesse alium Magum qui eum in hoc  
 proposito impediret. Rogat hic eum, ne hoc faceret. Verum  
 eum admonitioni repetitæ alter non pareret, præstigiator in  
 mensa lilium crescere fecit, cui cùm caput & flores amputasset,  
 concidit statim absque capite de mensa Magus ille, qui alterum  
 impediuerat, & præstigiator absque vlllo impedimento è vesti-  
 gio famulo caput imposuit, & ex hospicio vrbeq; ne à Magi-  
 stratu propter commissum homicidium deprehenderetur, au-  
 fugit. Sic cessit spiritus infirmus & malus potentiori & quidem  
 libenter, modò vt homicidium committeretur.

## CAPVT IIII.

## DE NECROMANTICIS.

F

Sum-

## Summæ.

1. *Magia species est Necromantia.*
2. *Necromantici qui dicantur.*
3. *Ritus in euocandis manibus obseruati.*
4. *Necromantia, execranda est Magia species.*
5. *Diabolus insinuauit se in animarum corpora, quæ in templis erant, & per eas loquebatur.*
6. *Pythia mulier.*
7. *Gastrimantia quid sit.*
8. *Sibylla Cumana fuit Dæmoniaca.*
9. *Sibyllæ omnes fuerunt Idolatra, & Dæmonum cultores.*
10. *Error patrum.*
11. *Doctrina Sibyllarum.*
12. *An malefica in Endor verum Samuelem, an spectrum excitauerit, nec ne.*
13. *Historia, in qua ostenditur, multas eiusmodi apparitiones, nequitia & auaritia sacrificulorum instructas, & confectas fuisse.*
14. *Appion & Vlysses, Homeri & Achyllis manes euocarunt.*
15. *Historia de Necromantico in Aula Maximiliani I. Imperatoris.*
16. *Historia Cytharistria Bononiensis.*
17. *Historia de extincta uxore nobilis cuiusdam in Bavaria.*
18. *An Diabolus mortuos resuscitare ac viuificare possit.*

1. **M**agia quoque species est Necromantia, per quam manes seu vmbrae defunctorum excitantur vt consulant, aut ad interrogata respondeant. Et

2. Necromantici sunt, qui sacrificijs solenni ritu constitutis & peractis, Magicis artibus & diris execrationibus, ab inferis manes euocant, accitosque de futu-

futuris sciscitantur. *venpos* enim græcè, latinè mortuus, *μάρτυρ* di-  
 uinatio nuncupatur: c. nec mirū 26. quæst. 5. Ritibus his, vt ait 3  
 Peucerus de Diuinat. in loco de Magia utebantur. Aras quæ  
 plerunque geminæ erant, & pares, nigris ornabant vittis aut  
 ceruleis, & Cupresso: cumque pecudes confodissent, spiran-  
 tem adhuc cruorem in effusam spargebant terram, vinumque  
 lac & mel miscebant, postea cæsæ victimæ viscera ter circum a-  
 ras gestabant, igne accenso. Hoc ritu commoueri ex imo ani-  
 mas produci que arbitrabantur, cumque manes placarent, po-  
 cula libabant, rogamque & sepulchrum vino, sed inversa manu  
 conspergebant, & nigras immolabant victimas, quarum visce-  
 ra oleo rigata conijciebant in ignem, accensis lignis sterilibus,  
 quæ è sepulchris eruta esse oportebat. Sacra verò noctu perage-  
 bant vel in meridie vel die decresciente. Fugere enim manè ad-  
 uentantem solem credebantur manes. Inualuerat autem hæc  
 consuetudo apud Ethnicos adeò, vt Romani annuatim ter po-  
 stridiè Vulcanalia, & ante sexto Idus Nouembris, & ante tertio  
 nonas Octobris, Diti & Proserpine, in campo Martio, vbi aram  
 diris manibus in loco abdito subter terram effosso statuerant,  
 victimis, epulis, thure, & mero sacrificarent, & decreta facerēt  
 de rituum illorum conseruatione, & atro die manibus paren-  
 tare, ne infesti redderentur prohiberent: denique si non ritè  
 administrata, vel ex leuibus causis intermissa essent, secundò  
 tertioque instaurari ea ac refici vellent. Hactenus Peucerus.  
 Execranda autem hæc est Magiæ species, qua Diabolus pater 4  
 mendacij de Veritate, de rebus abditis, atque etiam de Salute  
 hominum consulitur. Etenim animæ quas Necromantæ sacri-  
 ficijs à se adduci putant sunt Diaboli, ac propterea quicūque ca-  
 pita mortuorum seruant, nisi medicinam aut chirurgicam fa-  
 ciant, ij plerunque exercent Necromantiam, vt Ioachimus Ca-  
 merarius à se visos narrat non ita pridem, qui Diabolo per ca-  
 put mortui, loquente utebantur. Sed quoniam homines ali- 5

teredocti, aut aliàs meticulosi perhorrescunt noctu sepulchra accedere, & in artes istas incumbere, alias rationes excogitauit Diabolus, vt hos ad sui adorationem pertraheret: insinuabat enim se in earum corpora, quæ frequentes in templis erant, & per eas loquebatur. Id autem plurimum virginibus accidebat: sortilegis, ad impietatis onus adornatis, quæ ieiunantes religione maxima orabant in specu Apollinis, somnumque in ea capiebant (*nam quò grauior est impietas, eò honestiore pietatis & religionis velo obtegatur*) tùm Diabolo in illius corpus ingressò, quæ ita nocte trãfegerat, illa postridiè diuinabat, & de rebus quæ sitis responsa dabat plerunq; amphibola, atq; hæc Sacerdotes Pythiæ, nonnunquã etiã Sibyllæ dicebantur, sicut Bodin. de Dæm. li. 2. c. 3. scri.

6 Chrysof. de Pythia vel Apollinis oraculo ita perhibet: Dicitur hæc Pythia fuisse scœmina, quæ super tripode diuaticatis cruribus malignum spiritum inferius immissum, partesque genitales è quibus loqueretur subeuntem excipiens, furore repleretur, & crinibus sparsis, spumansque ore debacharetur, funderetque insana oracula. Hæc diuinationis species Gastrimantia nominatur, quæ vaticinia profert ex ventre spiritibus turgido. Quare qui hoc diuinationis genere obsidentur, Ventriloqui ab Augustin. lib. 2. ca. 1. appellantur: nec aliter prolata fuerunt vaticinia tùm Pythonicorum, quorum in sacris literis fit mentio, tùm Pythiarum apud Delphos: licet alioquin ratione sexus discrimen aliquod sit. In mulieribus enim sonus horum vaticiniorum ex genitalibus partibus edebatur & audiebatur. Nec enim alia via ex Pythijs Delphicis Dæmon pronunciare solitus fuit, quàm diductis scœminibus per inguen. Quin & Tertullianus autor grauiissimus affirmat, se ventriloquas vidisse scœminas, è quarum pudendis vocula quædam dum sedebant, excitabatur, respondebatque sciscitantibus. Sic Virgil. li. 6. Aeneid. Sibyllam Cumanam omnium celeberrimam Sacerdotem Pythiam fuisse ac Dæmoniacam, testis est, Et Cicero lib. 2. de diuinatione.

nat. Sibyllæ versus, inquit, obseruamus, quos illa furens fudisse dicitur. Fuerunt enim omnes Sibyllæ Idolatræ & Dæmonū cultores, & à fide nostra alienæ, quarum neque sacræ literæ meminere vnquam, neque vllam confirmationem aut approbationem dedit Conciliorum autoritas. Non obstat Lactantij & eorum, qui tanti fecere Sibyllarum oracula, authoritas. Videns enim Lactantius apud Ethnicos nihil maiestatem Bibliorum posse, Sibyllinis oraculis tētavit, id quod volebat ostendere, vt Bodinus ait. Existimauerunt enim sancti patres benefactū eo tempore, si Ethnici quocunque modo pertrahi ad religionē christianā possent, q̄ tamen opinio impia fuit, cū Prophetias diuinit⁹ institutas cū ijs sit nefas cōiungere, quas apud pagāos Diabol⁹ Sibyllis inspirauit. De doctrina Sibyllarū sic scribit Ioann. VVierus in Apologia sua: Præterea doctrinæ existimationē non immeritò eleuare debent figmēta, de Saturno, Titane, Iapeto, Iunone, Venere, Dione, Ioue, Neptuno, q̄ certè mihi spiritū diuinū sapere non videntur: eorum tamen meminit Sibylla li. 3. oraculorum. Huc facit & Ciceronis testimonium de Arusp. responsis: Ne hoc quidem tibi in mentem veniebat Sibyllino sacerdoti, hæc sacræ maiores nostros ex libris vestris expetisse. Hinc pleraque gentilium sacræ ex Sibyllarum scriptis originem traxisse indubitatè constat. Multa item referunt Sibyllarum libri de Christo, Ioanne Baptista & alijs, quæ potius à Græcis transscripta ex Euangelistis, postquam facta fuere, quàm Sibyllarum scriptis prædicta, non temerè affirmari, qui in receptorum vatum prophetiis de eisdem personis & rebus sit versatus. Tàm si quidem singula cum omnibus circumstantijs nudè & explicitè ob oculos in Sibyllinis libris sunt posita & depicta, vt tenebras esse nostrorum prophetarum scripta cum illis collata quis dixerit. Haftenus VVierus. Disputant Theologi, & Legum Ciuiliū Interp. An Pythonissa in Endor verum Samuelem 1. Reg. 28. excitauerit, nec ne? Lyra, Burgensis, Galatinus, alijque existimant,

stimant, fuisse verum Samuelem partim ex ipso textu, partim ex loco Syracidis. 46. Ioannes Bodinus IC. lib. 2. ca. 3. De Dæmon. videtur dubitare, dum ita scribit. Non sum nescius placere quibusdam Theologis Diabolum fuisse istum, ac non Samuelem: sed bona pars refragatur freta loco Ecclesiastici ca. 46. qui narrat in Samuelis laudibus, ipsum post mortem prophetasse, prænuntiata morte Regis, & Philistæorum victoria. In eadem sententia est Iustinus Martyr, Rabbi Sædias, & Hebræorū plerique: & ijs observandum est illud suffragari, quod responsio per Samuelis imaginem, quem Diabolum putant, Sauli facta, magnū Iehouæ nomen habet quinquies repetitum, quod etiam audire Dæmones perhorrescunt. Ideoque iudicium Dauidis Kimhi, in hunc locum, neque Tertulliani lib. de anima, neque Augustini, complecti possum, statuentium hūc fuisse Diabolum, nec adversantem huic sententiam planè confirmare. Haftenus Bodinus. Sed communis est Theologorum, & Veterum & recentiorum sententia, spectrum seu Diabolum fuisse, non verum Samuelem. Primū quod non sit credibile animas iustorum in manu Dei positas, etiam sub potestate Diaboli esse, & Pythonissæ mulieris Satanae spiritu plenæ, quia & Saul & mulier, faciebant contra mandatum DEI. Deuteronomij. 18. Nec credendum est, quod Spiritus sanctus per Moysen præceperit veritatem à mortuis quærendam, & postea Sauli permisit, vt ex Samuele resuscitato discat, quid sit futurum. Tertiò, quod in tota scriptura nullum proditur exemplum de mortuis interrogandis, adeò rigidè Spiritus sanctus obseruat hoc mandatum Deute. 18. Quartò, quia si Samuel vir iustus apparuisset, non vtique permisisset se à Saule adorari, qui prædicauerat Deum solum adorandum. Quintò, quia homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, non dixisset ad virum impium, dignum ardore gehennæ: Cras mecum eris, S Z E G E D I N V S in loc. com. de Magia fol. 409. Augustinus, Tertullianus, Lutherus super cap. 7. Exod. 1.

Tomo

Tomo Illebien. fol. 320. vbi sic scribit: *Dann der König Saul ward durch des Teuffels Betrug / recht geäffet / das er nicht anders wuste / es were der verstorbene Samuel / da es doch nicht Samuel war / der im H E R R E ruhet / sondern ein Gespenst des Teuffels / dem Saul zur Straffe von Gott verhenget / dieweil er sonst Samuels Lehr in seinem Leben veracht / vñnd in Wind geschlagen hatte.* Brentius, Chytræus, Petrus Martyr. Oslander. Victorinus Strigelius. Ioannes Mathesius in d. cap. 46. Syracides. Benedictus Aretius in problematib. Theolog. de Spectris, Ludovicus Lavaterus de Spectris part. 2. cap. 7. & 8. Scribonius de Phys. Sagar. fol. 74. Thomas Erastus in dispu. de Med. p. 1. fol. 8. Negat enim disertè Chrysostomus, Animas defunctorum in terra oberrare. Vnde mihi persuadebis hoc? ait, in ca. 8. Matth. An quia ipsos Dæmones clamare audivisti, Anima talis ego sum? Verum hæc quoque oratio à fraude & deceptione Diabolica proficiscitur: non enim anima defuncti est, quæ illa dicit, sed Dæmon qui hæc, vt audientes decipiat, confingit. Et mox idem author subiicit. Quare vetularum hæc verba, imò decipientium & puerorum ludibria ducenda sunt: non enim potest anima à corpore separata in his regionibus errare: iustorum enim animæ in manu Dei suat &c. Probat id exemplo Lazari & Stephani. Quod autem nec peccatorum animæ hic commorari possint, confirmat exemplum divitis Luca 6. Et palàm constat multas eiusmodi apparitiones, nequitia & avaritia sacrificulorum instructas & confictas esse, sicut Erasmus duo exempla recitat. Parochus quidam sub diem Parasceues clam immisit in cæmeterium vivos cancos affixis ad latus cereolis ardentibus: qui cum reperent inter sepulchra, visum est noctu terribile spectaculum, nec quisquam ausus est accedere propius. Hic rumor atrox. Consternatis omnibus, parochus è suggestu docet populum, has esse defunctorum animas, quæ missis & Elëemofynis flagitarent à cruciatu liberari. Fucus ita proditus est, reperi-  
ti sunt.

ti sunt tandem vnus & alter cancer inter rudera, facem extinctā  
 14 gestantes, quos paroꝗhus non recollegerat. Referunt de Appi-  
 one Grammatico, quòd Homeri manes euocarit, vt de patria  
 illius & operibus certior redderetur. Vlyſſes apud Homer. Odif.  
 7. euocat Achyllis vmbra. Apollonius Thanæus eiufdem A-  
 15 chyllis manes conſulit de rebus ad Troiam geſtis. Talis Necro-  
 manticus fuit Ioannes Trithonius, de quo ſequentem histori-  
 am Auguſtinus Lerchemer in ſuo Germanico Tractatu, *Von*  
*der Zauberey*/ Heidelbergæ edito, recēſet. Maximilianus I. Imp.  
 coniugem ſuam Mariam Burgundicam ardentem admodum a-  
 mabat, eamque mortuam lugebat vehementiſſimè. Hoc Ab-  
 bas Magus videns promittit Cæſari, ſe in medium producturū  
 defunctam, ſi eius Maieſtati ita placeret, vt eius conſuetudine  
 fruereſſet. Annuit Imp. itur in conclaue quoddam remotius,  
 adiuncto tertio. Magus ne quis verbum præſente ſpectro pro-  
 ferret, interdicit. Ingreſſitur ſpectrum pedetentim, Imperator  
 miratus omnium membrorum convenientiam, recordatur  
 verrucæ in ceruice coniugis, ſed & ea quoque obſeruanti appa-  
 ruit. Horruit tandem Imper. & ſpectrum remoueri nutu Mago  
 mandat, & cum indignatione ait: Monache, talibus impoſte-  
 rum abſtinere iubeo, addens etiam quàm difficulter linguam  
 cohibuerit, & vocem compreſſerit, quæ ſi erupiſſet, de vita tan-  
 16 ti Imperatoris actum fuiſſet. Peucerus de Diuinat. fol. 11. ſcri-  
 bit, Bononiæ fuiſſe Cithariſtriā virginem, charam multis pro-  
 pter artem, quam vita functam Necromanticus quidam alliga-  
 to ad alas faſcino ad eum modum, Diabolo colludente, ador-  
 nat, vt cœtus hominum, congreſſus publicos, & conuiuia fre-  
 quentaret, caneret fidibus conſucto more, nec à viuis differre  
 videretur, etſi palleret, plus nimio, incidit in hanc fortè alius  
 quiſpiam Necromanticus, & animadverſa (*Diaboli monitu*) im-  
 poſtura, cadauer, inquit, eſt iſta, faſcinumq; ſuſtulit, eo amoto,  
 ſtatim ipſa ad terram collapſa, iacuit exanimis. Sic ſæpè, inquit  
 Peu-

Peucerus, ludit Diabolus, nequit tamen semel extinctis halitus  
 afflare vitales & solutam carcere ac vinculis corporis animam  
 reddere. Refert Georgius Sabinus Peuceri affinis in commēt. 17  
 sup. lib. 10. Ouid. Metamorph. In Bauaria virum nobili familia  
 natum, extincta vxore, tantum animi dolorem cepisse, vt nul-  
 lam admitteret consolationem, ac vitam ageret in solitudine.  
 Tandem vbi nullum finem lugendi faceret, vxorem eius com-  
 paruiffe, excitatam à mortuis: ac dixisse, se quidem semel con-  
 fecisse curriculum vitæ à natura datum, sed importunitate ipsi-  
 us reuocatam nunc esse in vitam, atque à DEO iussam vti eius  
 adhuc consuetudine diutiùs, hac tamen conditione ac lege, vt  
 matrimonium morte solutum denuò per Sacerdotem solenni  
 ritu iungeretur, vtq; deinceps ipse abstineret blasphemis con-  
 uitiandi verbis, quibus vti consueuerat. Se enim horum causa  
 ei ademptam fuisse, atque iterum excessuram è vita, eum pri-  
 mum eiusmodi aliquod verbum edidisset. His actis, illam eu-  
 rasse rem domesticam, vt antea, & aliquot etiam peperisse li-  
 beros, semper tamen fuisse tristem ac pallidam. Post multos ve-  
 rò annos maritum vesperi potum, & ancillæ iratum, edidisse  
 verba quæ non debebat: interea illam disparuisse è cubiculo,  
 vnde marito allatura erat poma, ac reliquisse muliebre vestè,  
 sine corpore stantem, quasi phantasma, ad cistam, vbi poma  
 seruabantur. Hæc audiui, inquit Sabinus, ex multis viris fide  
 dignis, qui affirmabant, Ducem Bauariæ eadem retulisse Duci  
 Saxonix pro veris. Eandem historiam audiuit quoque D. Lu. 18  
 therus, ex ore Electoris Saxonix Iohannis Friderici, & addit:  
 Iam est quaestio: Ob das rechte Weiber seyn? vnd ob das rechte  
 Kinder seyn? davon seynd meine Gedancken / das es nicht rechte  
 Weiber seyn können / sondern es seind Teuffel / vnd gehet also zu /  
 der Teuffel macht ihnen die Gepler für die Augen / vnd betreuget  
 sie / daß die Leute meinen / sie schlaffen bey einer rechten Frauen /  
 vnd ist doch nichts. Desgleichen geschichts auch / wanns ein  
 G Mann

Mann ist / dann der Teuffel ist krefftig bey den Kindern des Vnglaubens / wie S. Paulus sagt. Wie werden aber die Kinder gezeuget? Darauff sage ich also / daß diese Söhne sind auch Teuffel gewesen / haben solche Leibe gehabt wie die Mütter. Es ist warlich eingewlich schrecklich Exempel / das der Satan so kan die Leuchte plagen / das er auch Kinder zeuget. Also ist's auch mit den Hexen / im Wasser / der die Menschen zu ihm hinein zeucht / als Jungfrauen vnd Mägde / mit solchen er darnach zuhelt / vnd Teuffels Kinder zeuget / dann sonst Kinder zeugen ein Göttlich Werck ist / vnd da muß vnser HERR Gott Schöpffer sein / den wir nennen in allzeit Vatter / vnd muß auch die Conceptio per constituta media, & per homines in einem momento geschehen / den er gebraucht zur Schöpfung der Menschen als ein Mittel / vnd durch dieselbe wircket er allein / vnd nie durch den Teuffel. Darumb so müßens gestolene Kinder seyn / wie dann der Teuffel wol Kinder stelen kan / wie man dann bißweilen Kinder in Sechswochen verleuret / oder müssen Supposititij sein / Wechsellinder / die dann die Sachsen nennen / Kiltkröpff / etc. Sed certum est Diabolum nec per se nec per sua organa mortuos resuscitare ac vivificare posse, cum solius Dei hoc opus sit, qui vita est & vitam omnibus suppeditat. Gestare quidem Satan potest defunctorum cadavera, motum etiam interdum præbere videtur, sed ipse agit omnia. Nec tamen verè vivificat aut resuscitat mortuos, nec sunt diuturna ista: at certis notis falsitas deprehendi potest ex conversatione, colore, sermone, actionibus, perseverantia, tandem etiam evanescencia vanitatem arguit vt scribit D. Heerbrandus in disputat. de miracul. Theol. 80. 81. & 82. Sic in Pathmo Insula, vrbe Pharan Cynops fuit insignis magus, de quo dicebatur, Magnus es Cynops & nemo præter te, eò quod etiam mortuos resuscitare crederetur, cum Dæmones essent, qui humana figura adsumpta obambulabant & se visendos præbebant. Sed Apostolus Iohannes imposturam agnoscens dicebat: In nomine Domini Iesu

Iesu

Iesu Christi ex hac Insula egredimini, nunquam redituri, & confestim ex omnium oculis disparuerunt.

CAPVT V.  
DE ARIOLIS.  
Summæ.

- 1 Arioli qui dicantur.
- 2 Ariolorum mentionem faciunt Moses, & Imperator.
- 3 Arioli sæpè furti, aut à alterius sceleris notam ijs inurunt, qui innocentissimi sunt.
- 4 Historia de quodam innocente suspenso.
- 5 Historia de rustico, qui pecuniam vesicæ suis inclusam, amiserat.
- 6 Historia de Ariolo quodam.
- 7 Quomodo furi oculus excutiat.
- 8 Historia quæ Rostochij accidit.
- 9 Historia quæ Gustrouij accidit.
- 10 Quid sit Crisallomantia.
- 11 Sacerdoti in cristallo thesaurus à Demone ostenditur, & ab eodem opprimitur in specu.
- 12 Norinbergensis Ciuis emit cristallinum annulum, ex quo visionem eorum, de quibus consulebatur, percipiebat puerulus.
- 13 Quid sit Catoptromantia.
- 14 Quid sit Dactilomantia.
- 15 Regis Lydorum annulus.
- 16 Quid Gastromantia.
- 17 Quid Lecanomantia.
- 18 Quid Hydromantia.
- 19 Quid Koskinomantia & Axinomantia.

G 2

20 Quid